



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Oratio II. ad Filium Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

Oratio II. ad Filium Dei.

A Mantissime Redemptor, qui amicos
 & servos tuos in te credentes, & cha-
 ritate perfectâ te diligentes, magna, imò
 majora, quàm tu ipse præstiteris, factu-
 ros prodigia promifisti; Ego, Domine,
 relinquam hæc admiranda aliis digniori-
 bus: unum ad sacram Eucharistiam ac-
 cessurus peto humillimè donum scilicet
 & effectus charitatis divinæ; hoc enim
 donum & suum habet donum Sapientiæ
 & scientiæ ad mysteria divina penetranda;
 cui enim ea manifesta, nisi amicis tuis?
 qui verò sunt amici tui nisi charitate præ-
 dit? hoc donum per gratiam tuam nun-
 quam excidet, veluti Prophetia, scientia
 & linguæ; sed incipiet in hac vita & æ-
 ternum permanebit in altera. Hoc do-
 num, cor meum è carnali in spirituale
 commutabit, optatâ metamorphosi &
 miracula spiritualia non deerunt, incre-
 dibilia iis, qui non diligunt. Mundus
 enim magni facit divitias, charitas autem
 spernit: mundus ambit honores, charitas
 contemnit: mundum quies & prosperitas de-
 lectat, charitas in labore & adversis exul-

tat; mundus sanitatem & vitam longam amat; charitas infirmitatem amplectitur, mortem non timet, vitam & sanguinem pro dilectis profundere non recusat. Hæc & non alia signa, sacratissima corporis & sanguinis tui perceptio in anima mea edere dignetur, ut gloriam tuam in hoc mundo propagem, & laudem coram te Deo meo & Angelis eximiam reportem. Amen.

Oratio III. ad Spiritum sanctum.

O Beatissime Spiritus! tu ardor es immensus, quo Pater & Filius mutuos in amores effervescent: tu halitus es, quo se afflant: complexus es, quo se amant: unio quâ se nectunt, nodus quo se stringunt, obsecro & obtestor te instantissimè, dum in hac sacra Synaxi cum Patre & Filio descendis in me & mansionem apud me facis, accende me, affla me, complectere me, necte & astringe me tibi, ut totus charitate divinâ inflammatus, tecum unitus, ac unus spiritus effectus ut instrumentum gloriæ tuæ elever ad maxima in Christianis tepidis, hæreticis perveris, & infidelibus excæcatis perpetranda. Hoc

fine